Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 181

Quelle:
Copyright:

Canonico jam alias memorato, qui intra annos 1436—65. quater Rectoris officio functus excessit a. 1472.

II. *fol.* 151. sequitur *Epistola secunda ad Corinthios lecta pro secundo cursu.* Quae cum eodem calamo exarata sit, quidni ad eundem Interpretem *Gröfselium* pertineat. Orditur ille: *Accedendo ad litteram secunde epistole ad Corinthios Notandum primo, quod apostolus paulus precepto domini et saluatoris nostri ammonitus* &c. Et subscribit: *Anno Domini M° CCCC 33. explicit Opus presentis epistole cum dubijs et notabilibus feria secunda ante francisci.*

III. *fol.* 208. usque ad finem Collectanea ex omni Theologia solertissime minimis etiam chartae spatiis adlita, atque in his Indices in utramque praecedentem *Lectu-ram*, Versus quidam μνημονευτικοι sacri, Series Regum *Israel*, *Prologus* in quaedam Statuta Facultatis theologicae *Vindob.* qui incipit: *Testante sapiente nec non experientia rerum Magistra clarius approbante* &c. neque reperitur in *Statutis* a Lambecio L. II. *Comment.* c. 5. vulgatis et a *Kollario* in T. I. *Analect.* ad *col.* 41. translatis, habetque inter alia: *Hinc iusto dei — iudicio vere religionis sapientia tanquam ab ingratis abscedit, et in occiduis Europe finibus sedem sibi primum in parisiaca Vrbe delegit, a qua per clarissimos viros patres nostros primitiuos, quorum anime deo viuant, in hanc australem plagam et hoc spectabile oppidum Wyenn. Apostolica suffultos auctoritate — feliciter seminata dinoscitur* &c. Jam igitur decesserant *Henricus de Hassia*, *Henr. ab Oyta* &c. Statuta ipsa absunt. Demum *fol. seq.* 220. *Stephani Temperii* Ep. *Parisini* Condemnatio dicentium: Posse aliquid verum esse secundum Philosophiam, et falsum secundum Religionem Catholicam, et quorundam Librorum *de Amore*, *de Geomantia*, *Nigromantia* &c. Data *anno Domini M° CC° LXVII. dominica qua cantatur Letare in curia parisiensi.* Error in anno; *Stephanus* enim a. primum 1268. Episcopatum adiit. Itaque rectius a. 1277. ut consentiunt *Egass. Bulaeus Hist. Univ. Paris.* T. III. p. 433. *Bibliotheca PP. Lugd.* T. XXV. p. 330. et *Gallia Christ.* T. VII. *col.* 113. quorum priores duo Condemnationem ipsam referunt, sed mendose, praecipue *Bulaeus*. Unde potiora restituam. *Gentilium scripturis inueniunt*, lege, *gentilium scriptis muniunt. Non autem quod sic asserere innuunt, videantur responsiones esse, et ita palliant*, lege, *Ne autem, quod sic muniunt, asserere videantur, responsiones ita palliant. Ne igitur in tantum locutio*, lege, *Ne igitur incauta locutio.* &c. En Specimen Censurae episcopalis in licentiam opinandi et legendi.

CXXI.

Codex chartaceus lat. Sec. XIV. U. 446
Folior. 153. f. per duas columnas minute exaratus, rubroque distinctus I. complectitur *Commentarium*